

Zur Marienverehrung im Mittelalter.

Von P. Otto Grillnberger, Ord. Cist. in Wilhering.

Die Papierhandschrift der Stiftsbibliothek zu Wilhering Nr. 133, S. XV, 15 Cm lang und 11 Cm breit, enthält f. 1^a—101 a Thomas' Compendium de profectu spirituali, f. 101 b—108 b mehrere lateinische Gedichte und Bemerkungen über das Rosenkranzgebet und das Gewissen, f. 110—125 Messrubriken und ein Speculum sacerdotale, f. 126—136 endlich ein Rosarium und mit demselben aufs Innigste zusammenhängende Marienlegenden in lateinischer Sprache. Letzterer Abschnitt, meines Wissens noch ungedruckt, bildet einen nicht unwichtigen Beitrag zur Kenntniss der Marienverehrung im Mittelalter, so dass es keiner Rechtfertigung bedarf, wenn er hiemit der Oeffentlichkeit übergeben wird. Insbesondere ist die schöne Legende vom Mönche und den Rosenkränzen beachtenswert. Sie ist, wenn ich nicht irre, die Quelle, aus welcher der Dichter des Passional's, der ja sein Werk zum grössten Theile aus dem Lateinischen übertragen,¹⁾ für die Legende: der Mönch und die Rosenkränze²⁾, geschöpft hat. Allerdings weicht diese einigermaßen von jener ab; allein die benutzten Quellen haben dem Dichter überhaupt nur den Stoff geliefert, die Bearbeitung und Anordnung desselben ist dagegen frei und ihm eigenthümlich.³⁾

* * *

Rosarium Gloriosae Virginis Mariae, ad cuius perfectionem pertinet, ut dicantur quinquaginta Ave Maria et cuilibet addatur aliqua clausula de vita Christi Domini secundum seriem Evangelii modo et forma infra signatis aut alia meliora iuxta orantis devotionem. qui vult Dominum laudare, Mariam Virginem honorare, debet sursum cor levare, rosarium hoc dicere et divulgare. amen.

1. Ave Maria — Jesus Christus, quem de Spiritu Sancto angelo Gabriele nuntiante concepisti. amen.

2. Ave Maria — Jesus Christus, quo concepto in montana ad Elisabeth perrexisti. amen.

3. Ave Maria — Jesus Christus, quem virgo purissima mente et corpore permanens cum gaudio genuisti. amen.

4. Ave Maria — Jesus Christus, quem pannis involvisti et in praesepium posuisti. amen.

5. Ave Maria — Jesus Christus, quem sancti angeli laudaverunt et »Gloria in excelsis,« cantaverunt. amen.

6. Ave Maria — Jesus Christus, quem pastores quaesiverunt et in Bethlehem positum in praesepe invenerunt. amen.

7. Ave Maria — Jesus Christus, qui die octava circumciscus fuit. amen.

8. Ave Maria — Jesus Christus, quem tres reges adoraverunt et ei aurum, thus et myrrham obtulerunt. amen.

9. Ave Maria — Jesus Christus, quem brachiis maternis portasti et Deo Patri suo in templum praesentasti. amen.

10. Ave Maria — Jesus Christus, cum quo in Aegyptum fugisti et post septennium ad patriam secum rediisti. amen.

11. Ave Maria — Jesus Christus, quem in Jerusalem perdidisti et post triduum in templo reinvenisti. amen.

¹⁾ Vgl. A. Hahn, Das alte Passional, Frankfurt a. M. 1845. S. III; Fr. Pfeiffer, Marienlegenden, Wien 1863, S. XVIII f.

²⁾ Bei Fr. Pfeiffer a. a. O. S. 153—168.

³⁾ Vgl. Pfeiffer a. a. O. S. XVIII f.

12. Ave Maria — Jesus Christus, quem de labore manuum tuarum sicut mater piissima nutrivisti. amen.
13. Ave Maria — Jesus Christus, quem sanctus Joannes in Jordane baptizavit et ipsum agnum Dei digito demonstravit. amen.
14. Ave Maria — Jesus Christus, qui post ieiunium quadraginta dierum tentatorem suum Satanam ter se tentantem superavit. amen.
15. Ave Maria — Jesus Christus, qui regnum coelorum cum electis suis discipulis mundo praedicavit. amen.
16. Ave Maria — Jesus Christus, qui multos infirmos a variis languoribus virtute sua divina curavit. amen.
17. Ave Maria — Jesus Christus, cuius pedes Maria Magdalena lacrimis lavit, capillis tersit et unxit unguento. amen.
18. Ave Maria — Jesus Christus, cui se in monte Tabor coram discipulis suis Petro, Joanne et Jacobo transfiguravit. amen.
19. Ave Maria — Jesus Christus, qui Lazarum quadriduanum a morte resuscitavit. amen.
20. Ave Maria — Jesus Christus, qui in die palmarum cum magno honore susceptus fuit in Jerusalem. amen.
21. Ave Maria — Jesus Christus, qui in ultima coena instituit sacratissimum corporis et sanguinis sui sacramentum. amen.
22. Ave Maria — Jesus Christus, quem ministri Iudaeorum ceperunt, ligaverunt et male ubique tractaverunt. amen.
24. Ave Maria — Jesus Christus, quem in veste alba, purpurea et coccinea illuserunt. amen.
25. Ave Maria — Jesus Christus, quem nudatum et alligatum diu et dire flagellaverunt. amen.
26. Ave Maria — Jesus Christus, quem spinis coronaverunt et caput eius arundine percusserunt. amen.
27. Ave Maria — Jesus Christus, quem derisorie adoraverunt, conspuerunt, velaverunt et alapis ceciderunt. amen.
28. Ave Maria — Jesus Christus, quem morte turpissima innocenter condemnaverunt. amen.
29. Ave Maria — Jesus Christus, qui crucis suae trabem in benedictis suis humeris baiulavit. amen.
30. Ave Maria — Jesus Christus, qui te, piissimam suam matrem, et alias sanctas mulieres se sequentes et plangentes alloquebatur. amen.
31. Ave Maria — Jesus Christus, qui manibus suis sanctis et pedibus crucis patibulo fuit acclavatus. amen.
32. Ave Maria — Jesus Christus, qui rogavit pro suis crucifixoribus: Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quod faciunt. amen.
33. Ave Maria — Jesus Christus, qui dixit ad latronem se rogantem: hodie mecum eris in paradiso. amen.
34. Ave Maria — Jesus Christus, qui te, piissimam matrem suam, sancto Joanni commendavit dicens: mulier, ecce filius tuus. amen.
35. Ave Maria — Jesus Christus, qui clamavit: Eli, Eli, lamma sabachani? id est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? amen.
36. Ave Maria — Jesus Christus, qui dicens: sitio felle cibus fuit et aceto potatus. amen.
37. Ave Maria — Jesus Christus, qui dixit: consummatum est, quia tunc omnia, quae pati debuit et voluit, consummavit. amen.
38. Ave Maria — Jesus Christus, qui dixit: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. amen.
39. Ave Maria — Jesus Christus, qui morte turpissima mori dignatus est pro nobis peccatoribus. Deo gratias. amen.
40. Ave Maria — Jesus Christus, cuius sacratissimum latus lancea apertum est et exiit sanguis et aqua in remissionem nostrorum peccatorum. amen.

41. Ave Maria — Jesus Christus, in cuius morte terra tremuit, sol obscuratus est, petrae scissae sunt et velum templi. amen.

42. Ave Maria — Jesus Christus, qui, ut pie creditur, tibi de cruce redditus fuit et mortuus in sinum tuum collocatus est. amen.

43. Ave Maria — Jesus Christus, quem viri iusti et timorati honorifice sepelierunt. amen.

44. Ave Maria — Jesus Christus, cuius sanctissima anima descendit ad inferos et liberavit animas sanctorum patrum de limbo. amen.

45. Ave Maria — Jesus Christus, qui die tertia resurrexit et te gaudio ineffabili laetificavit. amen.

46. Ave Maria — Jesus Christus, qui ascendit in coelum et sedet ad dexteram Dei Patris sui. amen.

47. Ave Maria — Jesus Christus, qui apostolis et cunctis suis fidelibus misit Spiritum Sanctum. amen.

48. Ave Maria — Jesus Christus, qui te, sanctissimam matrem suam, assumpsit et super omnes choros angelorum te exaltavit. amen.

49. Ave Maria — Jesus Christus, qui venturus est iudicare vivos et mortuos in novissimo die. amen.

50. Ave Maria — Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per infinita saecula saeculorum. amen.

Ave Maria — Jesus Christus, ipsi honor et gloria sempiterna et tibi, dulcissima virgo, mater eius, cum eo laus, honor et gloria per aeterna saecula. amen. — Explicit rosarium Beatæ Mariæ semper Virginis.

Exempla.

I.

Homo quidam saecularis consuevit facere sertum de rosis vel floribus vel de herbis, quando aliud non habebat, et imponere idem sertum imagini Beatæ Virginis Mariæ. in quo opere magnam sentiebat devotionem. idem homo ex gratia Virginis Gloriosæ tandem mundum deseruit et intravit religionem. ubi tanta sibi iniungebantur obedientiæ opera, quod praefatum sertum non potuit sicut prius facere ad honorem Beatæ Virginis. unde in tantum tristari coepit, quod volebat redire ad saeculum. quod cum prudens quidam pater perciperet, docuit eum, quod loco prioris sertî dicat quinquaginta Ave Maria, promittens ei, quod plus placeret Beatæ Virgini quam ulla sarta, quæ fecerat ei antea. qui acquiescens bono consilio facit ita. cum ergo ad tempus illud continuasset contigit, eum equitare per silvam, in qua latrones latitabant. ubi cum alligasset equum, flexis genibus dixit illa quinquaginta Ave Maria. Latrones vero, qui erant in nemore, eum videntes cupiebant rapere equum eius. sed antequam appropinquarent, viderunt a longe iuxta fratrem stare pulcherrimam virginem, quæ semper post pusillum recepit floridam rosam ex ore eius et faciebat inde sertum. quod cum completum esset, imposuit illud capiti suo et ascendit in coelum. de quo valde mirabantur et accurrerunt et fratrem ipsum interrogaverunt, quidnam ibi egisset et quæ fuisset illa virgo, quam secus ipsum vidissent. qui dixit, se nullam secum habuisse virginem, sed quinquaginta vicibus angelicam salutationem pro sero rosario dixisse secundum quod edoctus esset. sed cum latrones sibi dicerent, quam vidissent manifeste, agnovit, Beatam Virginem Mariam ibi secum fuisse et rosarium suum accepisse. unde cum magna devotione illud postmodum continuavit et alios similiter docuit. et sic istud rosarium primitus coepit et fiebat ex angelica salutatione quinquages repetita. sed nostris temporibus videlicet adhuc infra quadraginta annos vita Domini Nostri Jesu Christi addita est per clausulas suas, prout supra patet in ipso rosario. et quantum illud placet Domino Deo et Beatæ Virgini Mariæ matri eius, bene patet in sequenti magno exemplo.

II.

In magna pestilentia, quæ fuit circa annum Domini 1440 abiit quidam devotus pater ordinis Carthusiensis. qui dum adhuc viveret, raptus fuit in coelum.

ubi vidit, qualiter regina coelorum, Virgo Maria, cum sacris suis pedissequis reginis et cum tota coelesti Sanctorum turba ante thronum divinae maiestatis venerunt et cantaverunt hac rosarium cum suavissima melodia addentes post quamlibet clausulam unum Alleluia. et quotiens nomen Domini Jesu Christi nominabant, totiens humiliter omnes pariter genua sua flectebant. et quando dulcissimum nomen «*Maria*» nominabant, tunc reverenter omnes capita sua inclinabant. cumque finissent rosarium, devotissime rogabant Deum pro omnibus, qui se exercent in ipso rosario, quatenus omnipotens Deus dignaretur eis gratiam augere in terris et gloriam conferre ampliolem in coelis. ostensae etiam fuerunt eidem patri coronae innumerae in coelis et lucidae, odoriferae, quae servantur ipsis hominibus, qui hoc rosarium dicunt. et quotiens aliquis eorum unum perfecit in terris, totiens una corona apponitur ei in coelis. dictumque fuit eidem patri certive, quod homini dicenti hoc rosarium omnia peccata dimittantur — intelligendum est de venialibus, — operantem autem hominem talem fore in statu gratiae absque peccato mortali. et hic si in peccatis mortalibus fuerit, per gratiam Virginis Gloriosae praemonetur, ut se emendet, si frequentaverit praedictum rosarium, prout clare patet in exemplo sequenti de quodam inde converso et pluribus aliis.

III.

Miles quidam solitus erat dicere rosarium Beatissimae Virginis Mariae et incontinenter vivebat. is in quadam venatione persequens cervum ita remote venit a suis, quod in condense nemore oberravit nec ad viam tritam et veram redire quibat. ubi cum valde esuriret, invocabat matrem misericordiae, Sanctam Mariam, corde devoto. cui mox apparuerunt duae pulchrae virgines afferentes sibi unum bonum cibum in scutella immunda dicentes: ecce domina nostra, Virgo Maria, quam devote acclamasti, misit tibi hunc cibum ad comedendum. et miles respondens dixit: gratias ago piissimae dominae Sanctae Mariae et vobis, sed certe non possum comedere cibum hunc quamvis optimum ex vase tam immundo. cui una earum dixit: sic scito, quod rosarium, quod dominae nostrae quotidie dicis, valde a te acceptum esset, si tu mundam et sanctam vitam duceres. emenda igitur te et munda cor tuum a peccatis, tunc acceptabile obsequium exhibebis Sanctae Dei Genitrici Virgini Mariae in rosario isto, quod tu facis sedule ad honorem ipsius. et his dictis non comparuerunt. tunc miles reversus cito venit ad suos, emendavit vitam suam gratia Dei et Virginis Mariae adiutus ex continuatione huius rosarii. et sic patet, quod etiam peccatoribus prodesse potest hoc rosarium, ut eius gratia convertantur.

IV.

Quidam iuvenis de bona progenie natus nimis inonestam vitam duxit. qui cum patrimonium suum male consumpsisset et iam egeret et non haberet. unde viveret, unus de consanguineis suis dixit ad eum: ecce iam omnia tua turpiter consumpsisti nec amplius habes, unde vivas. si volueris audire me et facere parvum bonum, quod hortor, ego subveniam tibi in aliquibus, unde sustentaris. quod cum promitteret, se velle sequi consilium eius, dixit ad eum: si ad honorem Sanctae Dei Genitricis Virginis Mariae dixeris decem Ave Maria quotidie, ego praebebo victui tuo necessaria et non dubito, quin ipsa Beata Virgo Maria iuvabit te, ut honestius vivas quam ante vixisti. qui libenter id agere velle respondit. cumque per aliquod tempus hoc continuasset, interrogatus fuit a consanguineo suo, quomodo sibi placeret et an posset continuare. et iuvenis respondit: ego vellem bene sine gravamine addere adhuc decem. tunc instetit suus consanguineus tam diu, donec iuvenis ad quinquaginta Ave Maria dicenda pervenit, quod rosarium perficit. hoc cum continuaret de die in diem, sic melioratus est iuvenis, quod in brevi ad honestae vitae conversationem pervenit, quia vix aliquis potest esse tam malus et perversus, si assuevit dicere id, quin emendetur ex gratia piissimae Virginis Mariae et virtute angelicae salutationis, quae totiens hic replicatur, quod homo inde mente et ore indulcoratur

et delectatur. et sic patet, quod rosarium istud non solum bonis, sanctis et devotis hominibus prosit, sed etiam vanis, malis ac perversis peccatoribus, qui inde convertuntur et emendantur plurimi.

V.

Sacerdos quidam devotus adhuc vivens in civitate Treverensi raptus in spiritu in visione vidit Gloriosam Virginem Mariam stantem ante thronum beatissimae Trinitatis et habentem in scapulis suis, non in capite tam magnum rosarium, quod usque ad cingulum ipsius deorsum protendebatur. et erat idem rosarium de splendidissimis rosis et viridibus foliis insertis confectum, tam pulchrum rosarium, quod de nullis huius mundi rebus tale fieri posset. illud pulchrum rosarium sumpsit de collo suo benedicto Sancta Dei Genitrix Virgo Maria et obtulit sanctissimae Trinitati in laudem et gloriam eius sempiternam. ex quo patet, quod non solum Beata Virgo in hoc clenodio veneratur, sed etiam Deus trinus et unus honoratur et glorificatur, in quo tanta vita et conversatio Domini Nostri Jesu Christi commemoratur, recensetur, benedicatur atque laudatur, cum istud rosarium devote dicimus vel scribimus seu divulgamus aut praedicamus. sit igitur nomen Domini benedictum in saecula saeculorum. amen.

Nekrologe.

I.

Piae memoriae

Reverendissimi Domini Abbatis O. S. B. Břevnoveno-Braunensis

Domini Joannis Nepomuceni Rotter

defuncti IV. Maii 1886.

Descende caelis, angele, devolans
Solatium qui fers lacrimantibus,
Percussa multorum doloris
Pectora vi vehementi cura!

O Abbas senex! Fors fuerit bonus
Communis Tecum mortiferus dies
Torusque opacus unus, idem
Dulce perenne beatum tempus!

Paterna tellus en! queritur, nec non
Ecclesia atque stirps Benedicti flet:
Nunc orbe toto fertur questus,
Sidera nunc penetrat suprema!

Custos fuisti pervigilans Tibi
Gregis commisi, Tu patientium
Omnisque egeni spes et virtus,
Grande decus Benedictinorum!

O flete, fratres, plangite pectora,
Desumptus vobis nam pater optimus
Carusque pastor vos reliquit,
Dis miseranda manemus proles!

Exinde merces quae Tibi convenit
Et digna certe suscipit hodie
Te sors: en obviam volatu
Angelicus chorus obversatur,

Quo, quo iactatur vaeh! moderamine
Privata cymba, fluctibus invidis
Commissa? Quod superstites nos
Exilium sine Te passuri,

Hymnum caentes suaviter adnuunt
Inire sedes pacis amabiles.
Quo Te beantum vota nostra
Concomitantur, ut intercedas

Pro hac lugente progenie Tua,
Tecum benigna sorte libenter quae
Conjungi velit: quae medela
Sola valet reparare tristes!

Pragae, 8. Maii 1886.

L. W.

* * *